

DE COMETIS, Br. 24684
QVI ANTEA VISI
SVNT, ET DE EO, QVI NOVIS.
SIME MENSE NOVEMBRI APPARVIT,
narratio, scripta ad
AMPLISSIMVM PRVDENTISSI-
MVMQVE REIPVB. NORIBERGEN-
SIS SENATVM,

A

Iohanne Prætorio loachimico, Reip. Noribergensis
Astronomo, & Mathematum Professore in
schola Altorfiana.



Cum gratia & priuilegio Cæsareae Maiestatis.

NORIBERGÆ.

cis. I. LXXVII.



461806



DE COMETIS,
QVI ANTEA VISI
SVNT, ET DE EO, QVI NO-
VISSIME MENSE NOVEMBRI
APPARVIT,
NARRATIO.

VILLA fuit vñquam gens tam barbara, quæ Cometarum aspectum fortuitum fieri, & eos, absq; aliquo præsagio sequuturi alicuius notabilis euentus, apparere arbitrata sit. Nam cum multa alia signa à multis neglecta sint, vt vel temere illa fieri, aut originem ex leui quadam causa, animaduersione indigna, trahere somniarint, tamen conuicti euidentibus experientiæ testimonij, & atrocibus casibus moniti, religiose & cum animi consternatione, Cometas intueri coacti sunt. Maior attentio fuit successu temporis, cum res gestæ & miracula diligentius in annales referri cepta sunt. Experientia enim hominum animos magis magisq; confirmauit, & series historiarum, ac diligens earum meditatio, eruditis viris nullam reliquit dubitationem, quin de Cometis magnarum mutationum & confusionum indicia semper sumta sint. Neq; vero eam solum ob causam, inter signa & prodigia Cometæ connumerati sunt, quod nulla vñq; ætas illos impunè viderit, sed quod ipsi, vt & alij plerisq; prodigijs, eiusmodi facultas diuinitus attributa sit, vt per se terrorem & metum animis intuentium inhciant, eosq; commonefaciant, vt præsentis Dei minas reuereri cogantur. Annotatum in veterum historijs inuenimus, quod tetri, horribiles, ingentes &c. nominantur, quoties item legimus, Cometarum aspectu mentes mortalium perterritas esse: hæc voces testantur, vniuersiuisq; conscientiæ testimonio, diuinitus hæc signa commonefactionis causa hominiibus ostendi. Nō dico nunc de Cycloibus, quibus ultimo hoc seculo permulti similes sunt, qui cum Deum conditorem omnium rerū contemnunt, & ipsius verbum, mirum non est, si & omnes eius creaturas, & quæ in his fiunt, actiones, haud secus contemplentur ac reliqua animalia, quæ ratione carent. Sed eos sanandi hic locus non erit.



Et quoniam nobis circa finem anni 1577. Cometes iterum ostensus sit, aspectu formidabilis, qui haud dubie securorum malorum indicia secum fert, & labentis ad interitum mundi calamitates prænunciat, operæ precium esse duximus, anteq[ue] de eo aliquid proferamus, Cometarū seriem aliquam summatis & nudè enarrare, eorumq[ue] primam obseruationem, quantum possumus, inuestigare. Non adh[ec]iemus singulorumuenta, & quæ eos sequuntæ sunt regnorum confusiones & interitus, principum casus, & similia, nimis enim prolixī commentarū hæc essent: sed lectorem ad historiarum seriem remittimus. Inueniet enim, maximè luctuosa tempora Cometarum ap[er]titionibus annexa esse. Quantum autem fieri potest, breuissimè omnes, quos colligere potuimus, Cometas enarrabimus.

Quod ad primam Cometarum fulsionem attinet, non dubitamus affirmare, ab initio eos hominibus ostensos esse, & quanq[ue] id ex historijs primorum patrum patefacere non possumus, tamen alia ratione (vt puto) probabili id proferre conabimur. Certum est, multa prodigia & ostenta, ex naturalibus causis originem habere, quamuis, præter naturales effectus, alias significations quandoq[ue] ex diuina quadam prouidentia habeant. Talem conditionem Cometiis quoque attributam esse, iam à græcorum Philosophorum tempore, ab eruditis receptum est. Si itaq[ue] de materia & generatione Cometarum, Physicorum dogma, quod longo vsu in scholis approbatum est, nullam post se relinquit dubitationem, hoc quoq[ue] sequi videtur, cum mundi quasi initio Cometarū originem deductam esse. Dicunt enim, Crinitam stellam esse vaporem terrestrem, crassum, viscosum, astrorum virtute in supremam aëris regionem attractum & incensum, vt pœnas diuinias hominibus prænunciet &c. Cum igitur et vis astrorū, seu certa quædam constellatio, & vaporis terrestris copia, ad generationem Cometarū concurrant, non dubito, eiusmodi vires & vapores continuè successisse. Si quis autem contendit, alium posterioribus seculis syderum positum esse, ac fuerit ab initio, is quidem recte ratiocinatur, si vniuersam omnium motuum anomaliam adinuicem confert, hac enim ratione, vt Astronomi statuunt, quoad mundus durabit, motuum omnium ad pristinum statum nulla fiet restitutio. Verum ad Cometarum materiam attrahendam, non potuit tum quoq[ue] non esse sufficiens constellatio. Quis enim negabit, singulorum orbium motum esse perpetuò vniiformem & regularem? & cum ultra bis mille annos, ad nostra usq[ue] tempora, toties congruens stellarum positus recurrere potuit, (quam etiam is varius & dissimilis fuerit) neminem arbitror fore, qui neget, eandem vel similem vicissitudinem

nem antea quoque accidisse. Terrestres quoq; vapores, ob altera-
tiones, quibus elementaria ab initio subiecta sunt, semper fuisse ne-
cessere est. Et si his postremis seculis, tanta moles toties procreari po-
tuit, quæ materiam Cometæ suppeditarit, & antea quoq; procreari
potuisse consentaneum est. Nam quod deterior terræ conditio nunc
sit, quam fuit statim post creationem omnium rerum, aliunde proma-
nare non potest, quam à maledictione diuina, quam post hominis la-
psum statim sensit, quæ item non multò pōst geminata fuit. Amplius
judico, Cometas à primis patribus notatos fuisse, Astronomiæ enim
& naturæ cognitionis omnium peritissimi fuerunt, vt ipsis difficile
non fuerit Cometas à stellis discernere, quæ admodū Plinius Hippar-
chum fecisse ait, quod h̄sdē artibus instructus Cometas à stellis sepa-
ravit. Itaq; affirmare non dubito, ab initio Cometas fuisse, & semper
de h̄s mutationum & miseriariū subsequentium iudicia sumta fuisse.

In sacris literis veteris Testamenti, nullam Cometarum men-
tionem factam esse animaduertimus: nisi quis Hieremiac Prophetæ
virgam & ollam ardente, & aliorum eiusmodi visiones adducere
vellet, quanq; (meo iudicio) incongruè. Antiquissimum de Cometis
testimonium ex Senecæ dictis colligo. Nam is quendam citat, qui af-
firmarit, apud Chaldaeos fuisse Astronomos, qui Cometas stellas es-
se negarunt. At in Assyria, Chaldaea, Phœnicia & Ægypto, Astro-
nomicæ studia propagata sunt, vna cum rerum naturalium vestigatio-
ne, à Iosepho & posteris eius. Is autem carcere liberatus anno mun-
di 2230. Ægyptum rexerit. Ex his terris, vt & Proclus fatetur, Arith-
metica, Geometria, & tota naturalium rerum historia, ad Græcos
translata est. Et quanq; post tempora sanctorum patrum, nihil de
hac doctrina traditum est, in historijs, vsque ad tempora Græcorum
Philosophorum, sicut nec de Astronomia certi aliquid, aut de ipsis
propagatoribus annotatum est, tamen inter Chaldaeos, Phœnices
& Ægyptios, hæc studia conseruata sunt, donec ad Græcos, vt di-
ctum est, transmigrarunt.

Philosophorum de Cometis dogmata permulta adhuc haben-
tur. Ex h̄s vero Pythagoras, Italicæ Philosophiæ author, reliquos o-
mnes, qui nominantur, ætate antecedit. Nomen eius tum celebre fu-
it, quando regium nomen apud Romanos cessauit, & consules Rem-
pub. administrare coepерunt. Floruit primum in Thuscia, deinde in
Græcia. Mortuus sane fertur ultimo anno septuagesimæ Olympia-
dis, hoc est, anno mundi 3468. Quid statuat de Cometis, aliunde
petendum est, non enim hoc est nostri propositi inquirere. Inueniet
hoc, qui volet, apud Diogenem Laertium & alios. In primis vero de

his eruditè & copiosè differuit D. Camerarius, Vir CL. p̄cepto
quondam meus, & patris loco perpetua memoria colendus, in eo,
quem de Cometis scripsit, libello. Pythagoræ autem temporibus, si-
cūt nec ante ipsum, historiæ nullum Cometam, qui apparuerit, de-
scribunt.

Pythagoram sequuti Anaxagoras & Democritus, de Cometis
opiniones quoq; suas proferre soliti sunt. Et ipsorum ætate, primum
(quod sciam) historiæ Cometam produnt. Videlicet, Quando Xer-
xes contra Græcos è Sardibus mouit, Vel, vt Plinius refert, cum Græ-
cia apud Salamina depugnauit. Id accidit vltimo anno 76. Olympiadis,
anno mundi 3484. quo item anno ad Thermopilas & ad Arte-
misium, diuerso euentu pugnatum est. Fuit is dictus Ceratias, eō quod
tanq; cornu incuruatus esset. Præcesserat tunc quoq; Solis Eclipsis,
quaæ in historiis quoq; describitur. Fuit autem is Anaxagoras Astro-
nomicæ & Physicæ doctrinæ in primis deditus, non tamen absq; su-
perstitione & prodigiosa opinionum conceptione, vt tunc ætas tu-
lit. Aiunt ipsum lapidis casum ex eodē Cometæ incendio prædixisse
(quem ex Sole casurum dixerit) quod postea accidit sub initio belli
Peloponnesiaci, ad Ægos potamos, olympiade 88. Sub id tempus, ali-
us quoq; Cometa per 75. dies comparuit, vt narrat Plutarchus in Ly-
sandro.

Postea Seneca scribit Cometam fuisse regnante Archelao Ma-
cedonum Rege. Annum certum assignare non possumus, nisi quod
ipsius regnum cœpit anno mundi 3563. & duravit annos 14.

Aristoteles dicit Cometen magnum apparuisse, qui appella-
tus fuit Via, anno quarto Olympiadis 101. est is annus mundi 3592.
& dicit fulgorem porrexisse ad tertiam vsq; partem cœli, & in Cinc-
gulo-Orionis euanuisse. Scribunt alii, dum oriretur, & dum occide-
ret, quatuor horas præterisse. Plures ab Aristotele notantur, sed
quibus annis ascribendi sint, nobis non satis constat.

Legimus quoq; Callisthenem tradidisse, biennio ante Leuctri-
cam pugnam, hoc est, anno 3590. Cometam conspectum esse, qui
tempestates, terræ motus, & Græcorum excidium denunciauit. Leu-
ctrice autem pugna eodem anno commissa est, cui Aristotelis Co-
meta adscriptus est.

Post hos, annotatum à Plinio legimus Cometen, qui tubæ effi-
giæ cum esset, in hastam mutatus est, anno urbis 398. hoc est, anno
mundi 3610. sequuta sunt initia eius belli, quo Philippus Macedo-
num Græciam vexauit. Vastationes quoq; in Iudea & Persia accide-
runt. Anno sequente, natus est Alexander Magnus, qui postea anno
mundi

mundi 3629. Regno Macedonico potitus est, & duodecim annorum spacio orbem subegit.

Iustinus refert, anno eo, quo natus fuit Alexander Magnus, itemq; quo primum regno potitus est, Cometam visum esse, qui vtroque tempore, per 70. dies apparuerit. Ex his apparet, anno quoque 3629. Crinitam stellam annumerandam esse.

Iam multi intercedunt anni, quibus nullum Cometam ascriptum inuenimus. Nam anno demum vrbis 603. mundi 3819. stella arsit per dies 32. Sequenti anno, Carthago à Scipione, & Corinthus à Mumcio deleta est.

Inde rursus ad tempora vsq; Iulij Cæsaris transcurritur. Nam anno vrbis 710. mundi vero 3922. Julius Cæsar in senatu interfactus est. Frequentem tum Cometarū conspectum fuisse, Virgilius innuit:

Non aliâs cœlo ceciderunt plura sereno

Fulgura, nec diri toties arsere Cometæ.

Plinius quoq; sub ipso bello ciuili, & anno obitus Cæsaris visos fuisse asserit. Et Plutarchus dicit, quod ingens stella Crinita, post Cæsaris interitum, ad septimam vsq; noctem eximio fulgore apparuit. Existimo eandem esse, quæ à Plinio prolixius describitur, cum Augustus ludos faceret Veneri genitrici, eam interdiu visam &c. Hunc vnum ex omnibus Cometis legimus cum gaudio exceptū esse, cumq; (vt Plinius ait) terris salutarem fuisse.

Anno salutiferæ nativitatis Christi ex Virgine, sunt qui dicant Cometam fuisse, qui à Sybilla vate Augusto Imperatori ostensus sit.

Postea anno Christi 52. in ipsis ludis Neroneis Cometes effulgit. Hunc puto esse, quem D. Camerarius centum annos post triumviratum ponit.

Eiusdem imperij anno decimo, alias splenduit, videtur Seneca de hoc scribere, quod, præter Cometarum morem, ab ortu ad occasum non nihil deflexit.

Anno Christi 71. primo anno Vespasiani Imperatoris, Cometes Xiphias visus est per integrum annum. Quem anno sequenti misericordie excidium vrbis & gentis Iudaicæ sequutum est.

Annotatum inuenio, paulo ante Vespasiani Imperatoris mortem Crinitam stellam apparuisse, vter is Vespasianus fuerit, agnoscerem non possum. Prioris autem mors incidit in annum Christi 81. Titus vero Vespasianus, qui patri successit, bienniū saltem imperauit.

Hoc iterum loco multi anni omittuntur. Anno Christi 340. quo Constantinus Imperator obiit, ingens Cometa per aliquot menses se ostendit.

Sub Theodosio Imperatore scribunt, Cometen similem illi Hierosolymitano fulsisse. Initium eius imperij in Oriente refertur ad annum Christi 383. quod durauit annos 17. Duodecimo eiusdem Imperatoris anno, signum in cœlo, quasi columba pendens ardensq; per dies 30. apparuit. An & hoc inter Cometas referri possit, vnicuique disceptandum relinquo.

Inde Cometes fulsit anno 26. Valentiniani Imperatoris in Occidente, qui est annus reparatæ salutis 454. tunc quoq; cœlum arsit, & haftæ ardentes, & alia prodigia in cœlo visa, de quibus Trithemius. Totius tunc Orientis & Occidentis Imperium grauiter afflictum est. Imperator quoq; Theodosius mortuus est. Attila Hunorum rex Germaniam vastauit.

Anno salutiferi partus 557. stella crinita in forma lanceæ Constantinopoli apparuit.

Post annos 30. iterum Bizantij Cometa apparuit, cum alijs multis prodigijs. Incidunt hæc tempora in quartū annum Imperij Mauritij. Sunt qui sectam Sarracenicam eum prænunciasse affirmant. Sub eodem Imperatore duo alijs comparuerunt, nam anno eius undecimo, hoc est, anno Christi 594. Cometes integro mense cœlo apparuit, quem fames, squalor, siccitas subsecuta est. Deinde & ultimo eius anno, videlicet Christi 603. Cometes Xiphias conspectus est. Mauritius Imperator tunc miserè cum coniuge & tribus filiabus interemptus est. Natus est sub hoc Imperatore Mahometus. Et scribunt nonnulli, circa ea tempora Crinitam fulsisse integros & menses. Fortassis hoc vni ex iam citatis adscribendum est.

Anno Christi 676. terribilis Cometes per tres menses Romæ apparuit. Orosius ait, sequitas fuisse ingentes pluuias, & frequentia tonitrua. Sequenti anno locustæ magnis agminibus per Syriam & Mesopotamiam volitarunt.

Post annos 8. stella ingens fertur apparuisse in Oriente. Nunc quid aliud fuerit quam Cometa, non exprimitur.

Anno incarnationis Christi 729. annotatum est à Matthæo Palmerio in Chronicis suis, duos Cometas mense Ianuario per 15. dies apparuisse, vnum qui Solem præcessit, alterum qui eundem sequitus est. Sed Petrus Apianus eum repræhendit, & multos hoc modo decipi ait. Nam si magnam declinationem versus polum manifestum habuerit, & in certo Zodiaci situ, fieri potest, ut idem Cometa mane ante ortum Solis conspiciantur, & vesperi item, post eius occasum, quod & nostra ætate accidisse compertum est.

In Syria Cometes conspectus est, anno Christi 745. anno sequenti pestis

ti pestis in Sicilia grassari cœpit, quæ sensim omnes maris in sulas, & totam Græciam inuasit, sequente rursus anno Constantinopolim vastauit, eamq; tertio anno penè desolatam reddidit.

Post Christum natum 751. anno, Cometa in Oriente decem diebus fulsit. Alius in Occidente diebus 21. an & hi eodem in loco ante ortum Solis, & post occasum eiusdem apparuerint, vt priores, quos paulò antè notauimus, Funccius non addit.

Post biennium iterum Cometa Docetes in Oriente visus est. In gens subsequutum est frigus, & deinceps siccitas magna. Turci tunc cum magno successu potestatem suam ampliarunt.

Anno quoq; 800. Cometa adscribitur. Succedente anno Caroli Magni ad Imperium fuit accessio, cuius gubernatio 14. annos durauit. Ultimo huius anno, videlicet anno Christi 815. Cometa insignis & terribilis apparuit, mortem Caroli prædicens.

Successori quoq; Ludouico Pio Cometes mortem denunciavit anno 839. apparuit is in signo Arietis.

Post Ludouicum Pium, filius ipsius Lotharius Imperio suffectus est, cuius Imperi anno secundo, id est, anno Christi 842. Cometes in Aquarū signo splenduit. Anno quoq; sequente, non pauci dicuntur Cometæ apparuisse, quando Lotharius Imperator cum fratribus funestum bellum gereret.

Anno incarnationis Christi 875. octauo Idus Octobris iterum tale ostentum accidit, quod inundationes & pestem prædixit. Quadriennio pôst, Sol ita obscuratus scribitur, vt etiam stellæ interdiu cernerentur.

Anno quo mortuus est Ludouicus rex Boiorum, 15. Calend. Febr. sydus crinitum apparuit. Iudico eum ad annum Christi 882. congruere.

Cometa præter morem rubicundior apparuit, post natum Christum anno 905. quem magnæ pluviæ secutæ sunt.

Anno 945. Cometa miræ magnitudinis in Italia visus, quem famæ maxima comitata est, Galliam quoq; tunc famæ pressit.

Anno 983. vel circiter, ante mortem Imperatoris Otthonis II. Cometes apparuit. Fames quoq; & pestis tunc regnauit.

Anno 1005. Cometa aspectu horribilis visus, tredecim noctes, festo Paschali.

Annus quoq; 1056. & 1058. eadem de causa celebres sunt.

Postea anno 1071. stella insolita, in Austrum & Occidentem visa est, per dies 25. & post alia miracula Cometes, longos & flammeos crines ducens, apparuit.

Similis flamma annum quoq; 1097. notauit.

Noua astra visâ esse perhibentur anno 1104.

Anno 1106. Cometes maximus tempore Carnispriuñ apparuit. Mortuus est eo anno Henricus IIII. Imperator, qui annos 50. regnauerat.

Vix sunt etiam tales flammæ anno 1141.

Tartarorum irruptiones in Poloniam Cometes præcessit, anno 1211. qui 18. dies durauit.

Anno 1254. Cometa in Germania per aliquot menses conspiciens fuit. Ventus præter solitum vehemens sequuntus, & alia incommoda,

1255. Cometes insigni magnitudine mense Augusto apparuit, & durauit tres menses. Hunc autem esse arbitror, quem Pontanus, Functius & D. Camerarius uno anno priorem faciunt. Nam cundem mensem Pontanus citat, & tantam durationem assignat, & ait ab ortu ipso ad medium cœli crines diffusisse, nec antè videri deshisse, quāna Vrbanus Pont. Max. diem obiit. Mortuus is fertur anno 1255.

Post annos iterum 19. & itidem anno 1298. æstate, Cometa conspectus est, circa id tempus, Adolphus Imperator ab Alberto prælio victus cadit.

Deinde 1301. & alijs 1305. tempore Paschæ apparuit, quos pestis per vniuersum orbem comitata est.

Anno 1312. Cometa per 14. dies se videndum præbuit.

Sequenti etiam anno visus est, qui à Septentrione versus Meridiem discessit iuxta motum Martis.

Qui anno 1314. comparuit, in fine Virginis, dicitur flammam versus Aquilonem direxisse, & tres septimanæ conspectum esse. Fames tunc maxima in Lithuania & adiacentibus regionibus. Pluuiæ per totam æstatem, inde pestis cum fame, quibus tertia pars viuentium absunt traditur.

Anno 1337. Dirus Cometes in signo Tauri amplius 4. menses durauit. Cui accessit alijs, qui cum hoc per tres amplius menses, Iunium, Iulium, Augustum, effulsit. Variæ tunc gentiū afflictiones fuerunt, propter bella & vim locustarum. Pestem legimus eo anno Noribergæ multa millia hominum absuntissimæ.

Triennio post, mense Martio, alijs fulsit in signo Virginis, anno sequente, hoc est, 1341 Noribergæ 400. ædificia incendio perierunt.

Anno 1347. mense Augusto in TAURO, duos menses visus. Alij rursus asserunt paucos dies eum conspectum esse. Sæpius tum pestis per totum orbem.

1352. Item 1353. anni, quoq; Cometas senserunt. Anno 1363.
Cometes insigni magnitudine apparuit, tres continuos menses. Sur-
gens ab Oriente diro incendio aëris ad medium cœli, versus Occi-
dentem radios suos prōjectiens.

Duodecimo anno pōst, itidem sydus crinitum fulsit. Sequuta
est mors Caroli Quarti.

1391. Cometes in Veru imagine apparuit, hunc autumant A-
strologi inter cæteros esse pessimum.

Citant & annum 1400. & annum 1403. paulò ante mortem Ta-
merolani.

Item anno 1407. q:to Pruteni à Polonis magna ipsorum clade
superati sunt, sed alij hoc bellum posterius faciunt.

1433. Cometa ingens per tres menses luxit.

Eiusmodi fax conspecta quoq; fuit anno 1474. & 1439. Creuit
enī temporibus Turcica potentia, & debilitatæ sunt vires Christia-
norum.

Circa annum 1444. Cometa solstitiū tempore conspectus, qui
mentes mortalium perterritum.

Cometes, cum varj̄s prodigj̄s, apparuit in Polonia & alibi, per
totum mensem Iunium, anno 1456. antecessit is mortem Ladislai
Regis Bohemorum, qui veneno sublatus est.

Sequenti quoq; anno crinita stella citatur. Arbitror hanc es-
se, quām vocat Pontanus insignem, quē multis diebus fulsit ad Orien-
tem, in Cancri Leonisq; regionib; tantæ longitudinis, vt amplius
quām duo cœli signa comæ lùæ tractu occuparet. Insecutum est bel-
lum diurnum, & mors Regis Alphonsi.

Anno Christi incarnati 1460. ingens rursus Cometes apparu-
it. Capistranus nostri seculi mala inde vaticinatus est.

Circa hæc tempora maxima argenti copia effossa est, ex argen-
tifodinis Schnebergensib; annum autem hisce verbis contentum
notarunt : ECCE CVI COMETA LVXIT.

Anno 1471. Alphonsus, Portugaliæ Rex, magna classe in Afri-
cam trañciens, expugnauit potentissimas duas vrbes Tingin & Ar-
gillam. Hanc expeditionem scribit Pontanus antecessisse Cometam,
cuius descriptionem apponere libuit. Inquit enim Pontanus : Co-
metes tenui primò capite coma admodū breui conspectus est. Mox
miræ magnitudinis factus, ab Ortu deflectere cœpit in Septentrio-
nem, inæquali cursu. Et quod Mars Saturnusq; vterq; repedebat, a-
uerlus ipse, prægrediente Coma, ferebatur, donec ad ipsos Arctos
peruenit. Vnde cum primum Saturnus ac Mars recto cursu p̄ergere

ceperunt, in occasum iter flexit, tanta celeritate, ut die uno ad triginta gradus emensus sit. Atque ubi ad Arietem & Taurum peruenit, videri desit. Hic & dies plurimos fulsit, & qui initio brevior visus est, adeo creuit, ut quinquaginta gradus, atque etiam amplius occuparet &c. Multorum principum mortem illi anno Functius apponit.

In principio anni 1472. Cometa apparuit. In Chronicis Polonicis annotatum est, duos Cometas notabilis magnitudinis visos fuisse in Libra & Ariete. Sed a Regiomontano unus saltem obseruatus est, die 20. Ianuarii Noribergae, qui scilicet in Libra habet, ut patet ex ipsius obseruationibus. Trium annorum sequitas sequuta est, & bella quoque.

Anno 1491. Cometes & Solis Eclipsis accidit, pestis pecorum sequita est, & aliquot principes vita functi sunt. De hoc a VValthero nihil annotatum inuenimus, in suis obseruationibus, nisi quod fuerit circa principium Arietis, cum latitudine Meridionali.

Anno 1500. Cometes in Septentrione sub signo Capricorni splenduit, mense Aprili. Tartarus tunc Poloniam, Moscus Lithuaniae valuit.

1506. Stella crinita inter Arcton apparuit, tertio Idus Aprilis, quae 25. dies durauit. Praedixit ea mortem Alexandri Regis Poloniæ. Tartari eo anno repulsi sunt. Mortuus in Hispania Philippus, pater Caroli V. Imp.

1523. In Nouembri Cometam apparuisse Iunctinus annotauit. Magnæ inundationis prænuncium.

Anno 1529. annotantur quatuor Cometæ, ex aduerso stantes, ad quatuor latera mundi spargentes flamas. Aljud annotatum de his non inuenio, quanquam diligentiorem descriptionem desiderem. Vienna eo anno a Turcis obessa est. Fames maxima Noribergam afflixit.

1530. Cometes in Germania, Italia, & Gallia visus est, circiter sextum diem Augusti, duravit ad tertiam usque diem Septembribus, quo spacio percurrit Cancrum, Leonem, Virginem, & Libram, in quo signo euanuit. Visus is fuit manè ante ortum Solis, itemque rursus post Solis occasum. Submersio tunc facta multarum ciuitatum in Flandria, Brabantia, Hollandia, Zelandia, &c.

1531. & duobus proximè sequentibus annis singulis, item anno 1538. & 1539. singuli Cometæ apparuerunt. Quorum omnium loca & motum diligenter annotauit Petrus Apianus, ad quem lectorem remittimus. Inter hos, ultimus qui apparuit, hoc peculiare & rarum habuit, quod motus eius proprius contra ordinem signorum fuit,

fuit, hoc est, quod velocius versus Occidentem progressus est, quam
est motus primi mobilis. Statum horum temporum recens homi-
num memoria suppeditabit.

Visus est quoq; Cometa anno 1556. sub initio Marti, quem di-
ligenter descripsit Iohannes Hommelius, insignis quondam Mathe-
maticus. Ex ipsius annotatione hæc subñcere non piguit: Die 5. Mar-
ti iuxta alam sinistram Virginis, supra spicam constitit: die octaua
infra genu Bootis, & nona die iuxta Arcturum, ut quasi in ambitu
maximi circuli, hoc est, rectissima via ad polum Zodaici Borealem
accedere visus sit, & tunc vna die plures quam 15. gradus circuli cœ,
lestis peragrari. Ascendendo autem versus polum Zodiaci Boreae-
lem, ipsum ad dextram linquens ad polum mundi accessit, magna ve-
locitate, & inde quasi ex culmine descendens, ad Saturnum, qui tunc
in Ariete fuit, contendit. Et vt antea ex Libra contra ordinem signo-
rum (secundum longitudinem) processit, ita postea, Saturni motum
imitans, secundum ordinem signorum progressus est, per Andro-
medam ad signum Piscium, ubi extinctus est. Mutati sunt tum radj,
tum corpus ipsius. Et radj, qui vesperi in meridiem, post medium no-
ctem in occasum directi sunt. Nec comam à Sole auersam habuit, do-
nec à Sole minus quadrante circuli remotus fuit. Euenit ipsi & hoc,
quod à Zodaico longius remotus, manè & vesperi conspicui potuerit.
Et quandoq; sub Horizontem non occultatus fuit. Accuratio rem de-
scriptionem ex D. Camerari libello petere licebit.

Dicitur & anno 1557. similem flammam in Occidentis plaga vi-
sam, mense Octobri, in signo Sagittarii, cum Sol Libram teneret.

Anno 1558. mense Augusto, & deinceps, per multas septima-
nas Cometes in Veru imagine visus est in Scorpione.

Anno demum 1572. Sydus quoddam apparuit, (sic enim voca-
ri solitū est,) quod diuersissimas opiniones inter Astrologos & Phi-
losophos excitauit, dum alij stellam fixam illud esse contenderunt,
lumine auctam: alij nouam Dei creaturam: alij Cometam: alij rursus
medium quiddam inter Cometam & stellam. Sed horum disputatio-
nen, ex aliqua parte temporis successus sustulit. Cum enim prorsus
euauerit, & stellarū numerus diminutus non sit, consentaneum est,
meteoron fuisse, siue illud ex vulgari Cometarum materia, siue pu-
riore aliqua mole fuerit compactum. Edocti certe sumus, doctrinam
Meteorologicam integrum & omnibus partibus absolutam non es-
se. Nam nullus ex Astronomis, vt arbitror, negabit, ipsius sedem in-
tra Planetarum orbes contentam fuisse, quam mundi partem æthe-
ream dicunt. Id cum ante hæc tempora, nonnulli ex Pythagorë, Sto-

icorum & aliorum sententia , fieri posse affererent , ab alijs acriter repulsi sunt. Animaduertimus quoq; Meteororum figuras siue formas, diuersissimas esse posse, nec intra certas metas inclusas esse. Posse etiamnum tum Cometarum , tum aliorum meteororum faciem subinde à consueta veterum obseruatione , alienam fieri , de multis item alijs rebus, etiam in posterum, nos commone fieri posse , quæ ad augendam veterum doctrinam spectant. Mihi sanè hoc sydus corroborare, inter cetera, videtur, Ioh. Penæ opinionem, qui reiecta regionum aëris discrepantia , ignis quoq; sphæra sublata , arbitratur aërem continuum , absq; vlla materiæ diuersitate, à nostro visu , ad extre mas vsc; stellas extendi. De qua tamen opinione , in præsentia nihil statuere volo. Et vt ad sydus dictum reuertamur, constitutum id fuit intra Cassiopeæ formam, & cum tribus ipsius stellis, quæ sunt in ordine secunda , quarta , & duodecima , Rhombi figuram quasi vel Trapezū effingebat. Plerosc; Rhomboidis appellatione vsos esse video, sed, vt opinor, minus congruè, quoniam opposita eius figuræ latera minime cernebantur esse æqualia. Adhæsit fermè coluro æquinoctiorum, vt eius ascensio recta, vix uno gradu ab integro æquatoris circulo abs fuerit. Longitudo eius referebatur ad septimum gradum Tauri, latitudo erat par. ium 54. Sept : Declinatio ab æquatore 52. grad. Multa in eo admiratione digna concurrerunt. I. Forma, quæ erat stellæ fixæ similima, absq; vlla coma aut area circumfusa. II. Color lucidus , scintillatione prioribus diebus fixas stellas æmularatur. Ipso Ioue maius & lucidius, sed Veneri magnitudine facile cessit. Et cum duos menses vel circiter apparuisset, rubicundius fieri cœpit, vt etiam Martis ardorem vinceret. Sed postea pallidius iterū factum. III. Motus huic syderi nullus erat, excepto eo, quem cum stellis fixis communem habebat. Eundemq; quem primò habuit locum, deinceps semper retinuit. IIII. Distantia ei à terra tanta fuit, vt ea percipi nullo modo potuerit, nisi quod depræhensum sit, intra orbes Planetarum , aut supra eos collocatum fuisse. Hoc enim artificium obseruationibus comprobatum est, & qui omnium præstantissimi & diligentissimi in hoc genere fuerunt, omni parallaxi id exutum fuisse affirmant. Eam ob causam certa ei sedes attribui non potuit. Nam licet & Saturnus omni diuersitate aspectus caret, tamen ex proprio ipsius motu, & alijs accidentibus eius distantia definiri potuit, quæ adminicula huic syderi prorsus non adfuerunt. V. Tandem duratio insolita. Videri enim cœpit mense Nouembri , à nonnullis quidem citius, sed à me VVitebergæ die 15. & durauit menses quatuordecim.

Quid

Quid illud sidus sequutum sit, omnibus notum est, nec dum ipsius effectum cessasse arbitror, aut ita breui cessaturum. Solent non nulli Astrologi singulis mensibus durationis, singulos annos tribuere. Quis scit, an non & hoc sydus, ad quartum decimum annum vires suas extendat? Numerantur ab Israëlitarum liberatione, à carcere Ägyptiaco, usq; ad vrbis & gentis excidium, anni 1582. & fuerunt, qui, coniecturali ratiocinatione, hanc annorum Christi supputationem orbi fatalem esse arbitrati sunt, hoc itaq; tempus, intra spacium prædictum contineri cernimus. Nolo nunc adducere aliorum prophetias, quæ huic supputationi suffragantur. Non autem ab homine Christiano alienum est, vñā cum verbi diuini admonitione, cuius auctoritas in toto mundo summa est, naturæ quoq; testimonia admittere, quæ item nos de præsentia & ira Dei commonefaciunt, vt eo paratores & promptiores simus, tanquam omnibus momentis, fidei & actionum nostrarum rationem Deo reddituri.

Hæc de præteriorum Cometarum historia dicta sufficient, quam cupio à viris eruditis, qui in historijs magis versati sunt, fieri auctiorem & ornatiorem, cum in primis nos de multis rebus utilibus commonefaciat. Nam tam atrocibus spectaculis mentes nostræ ad Dei timorem & inuocationē commouentur. Et vicissim in calamitatibus, & regnorum rainis, & portentorū aspectu, iterum eriguntur, & leuamen quoddam malorum inde hauriunt, quoniam agnoscunt multò magis miraculosa, & aspectu terribilia quondam accidisse, tantas quoq; olim calamitates gentium fuisse, vt ad cumulum misericiarum quasi nihil accedere amplius possit.

Optandum esset etiam, vt singulorum, vel plurimorum saltem Cometarum descriptio extaret diligentior, adiectis accuratis observationibus Astronomicis. Ex tanta enim copia crederem multum lucis posse accedere ad doctrinam Meteorologicam, eamq; confici posse & copiosiorem & exactiorem. Omnes fatentur, naturalium rerum scientiam ex minima sua parte hominibus cognitam esse. Itaq; deplorandum est, iam inde à Græcorum Philosophorum tempore, nihil ferè adiectum esse, quod illustriore eam doctrinam reddiderit, & caligine detersa, ad apertiores naturæ contemplationem animos hominum perduxerit. Verum hoc magis deplorandum, quod non saltem non studeamus hanc cognitionem amplificare, sed quod & veterum inuenta perdiscere & cognoscere adhorreamus, & monstrosis potius, & ab ipsa natura abhorrentibus, opinionibus indulgeamus, & monstrosa proferentibus, quacunq; id ratione fiat, facilius assentiamur. Sed cum omnium extatum hæc querela fuerit, nos quoque

que communem hominum sortem æquo animo feramus.

Restat nunc, ut de Cometa, qui proximo mense Novembri, anni 1577. conspectus fuit, aliquid proferamus. Cometam illum omnium consensu appellare possumus. Nam nihil alieni à Cometarum forma & conditione, in eo deprehendimus. Nec multis peregrinis disputationibus eius conditio implicita est. Primum quidē Noribergæ visus est, die 12. Nouembris. Citius autem Venetjs animaduersus, ut pote octaua eiusdē mensis die. Lugduni quoq; nona dicti mensis die, primum apparuit. Et fortassis nobis quoq; citius apparuerit, si nubibus, quæ aliquod antecedentibus diebus continuæ fuerunt, ipsius aspectus prohibitus non fuisset. Color ei pallidior erat, Coma ex non magno nodo, latius & in longum diffusa, eaq; à Sole semper auersa fuit, nisi quod in medio eius parum incuruata cernebatur, quod ex optica causa accidisse arbitror. Comæ longitudo ultra 25. gradus cœlestis circuli extendebat, in latitudine autem, vbi ea maxima erat, non plenè duos gradus occupare videbatur. Prima illa die, de qua dixi, à me visus non fuit, verum, ut ab aljs intellexi, apparuit aspectu magis horribili, rubicundior, magnitudine quoq; auctior, & terræ quasi vicinior, quam altera & insequentibus diebus. Hanc itaque diuersam faciem accidisse arbitror ex nubium & vaporum conditione, vel alicuius nubeculae rarae interuentu, & vt hæc cogitem, aliorum obseruationibus permoueor. Nam Altorfij qui eadem die duodecima, cœlo sereno eum conspicati essent, à sequentium dierum forma eum separare non potuerunt, neq; etiam intellexi, quicquam tale ab hs animaduersum esse, qui Venetjs, Lugduni, & alibi citius illum obseruarunt.

Sol tunc fuit in initio dodecatemorij Sagittarj. Cometa secundum longitudinem, die 13. Nouembris, conspiciebatur in medio Capricorni, cum latitudine Septentrionali 15. graduum. Motus, qui præter motum diurnum ipsi erat, directus non fuit. Nam cum infra æquinoctialem, ex parte Meridionali prope viam lacteam primum apparuerit, postmodum non recta via, circiter diem 19. Nouembris æquinoctialem transcendens, (in ea parte, vbi 294. gradus ascensionis assignari solet) & lucidam stellam aquilæ, interiuollo quasi 4. graduum relinquens, accedebat ad caudam Delphini, & se extremis illis stellis caudæ Delphini commiscuit circa diem eiusdem mensis 29. eo etiam tempore velocior suo cursu videbatur, & uno quasi gradu, aut parum plus, vna die progrediebatur. A dictis stellis discedens, die 5. Decembris parum prætergressus erat duas illas stellulas, quæ sunt in ore præcisionis equi, & rursus tendebat ad stellam tertię magnitudinis

magnitudinis, quæ est in rictu equi alati. Sed illam quoq; sub se aliis quantulum relinquens, se mouit intra Ortum & Septentriōnem, & Calendis Ianuarij cum duabus prioribus lucidis stellis Pegasi, ex figura illa quadrangula, constituit triangulum æquilaterum. Postea cum nimium attenuari quantitas eius coepit, modu tardiore accessit ad duas illas stellulas, quæ sunt in pectore Pegasi, & ibidem euanuit, vt post 10. diem Ianuarij anni præsentis 78. nulla nec vmbra residua esset. Ex his motus eius in globo cœlesti intelligi poterit, & inde manifestum fiet, quod vago motu circuuerit. Si autem recto itinere ad eum locum, in quo euanuit, incessisset, tunc in dicto temporis spacio circiter 60. gradus confecisset. Hæc autem intelligi volumus de apparente ipsius motu, nam qui in longinquis terris eum obseruas- runt, eos ad alia loca cœli, ipsius motū retulisse necesse est. Utile au- tem esset, vt accuratius in remotis inuicem locis visus locus annota- retur. Hæc enim conferre possent, ad parallaxin exactius cognoscendam. Nos quidem accurate tum vera loca, tum parallaxin, obser- uare non potuimus, eò quod instrumentis idoneis non eramus instru- eti. Videbatur autem primo apparitionis tempore, terræ multò vi- cinior quam postea, vt iudicem, sursum quoq; ipsum promotū fuisse, de hoc tamen nihil præter coniecturam habeo.

Dum etiam ipsius distantiam ab Horizonte & stellis mensus sum, animaduerti eum difficilimè per tabellarum foramina agnisci potuisse, propter lumen eius obtusum & debile, cum tamen aliarum stellarum perceptio tunc esset facilima. Hoc quoq; fieri depræhen- di, vt, quoties Horizonti accedere eum viderem motu diurno, ex- tingueretur antequam eum attingeret. Idque & ab Apiano animadversum video, in h̄s quos ipse obseruauit, & in ipsius sententiam non inuitus eo, qua Plini verba ad hunc sensum alligat. Sic enim Plinius: Cometes nunquam in occasura parte cœli est. Hoc interpreta- tur Apianus, quod nunquam videantur Cometæ occidere, sed ex- tingui paulò antē, quam Horizontem attingere conspiciantur. Ver- ba Plini, vt pleraq; alia, ex Aristotele sumta esse arbitror, vult enim Aristoteles omnes Cometas, conspectos suo tempore, extinctos esse sine occasu. Horum quoq; verborum sensus aliter ab alīs accipitur, sed ad hunc, quem dixit Apianus, modum non incongruè applica- buntur.

De materia huius Cometæ non ambigimus, quin fuerit moles vaporum terrestrium. Sed an halitus isti accensit fuerint, me item Apianus dubitare facit. Nam dum radios Cometarum diligenter ob- seruasset, & depræhendisset eos Soli ex aduerso semper positos esse,

nōn dubitauit affirmare, non omnes Cometas accensos esse, sed quād
doq̄ esse exhalationem subtilem non inflammatam, sed lucentem à
lumine Solis, cuiusmodi existimat omnes eos fuisse, quos ipse obser-
vauit. Hæc ipsius opinio si vera est, quemadmodum probabilis esse
videtur, equidem ausim affirmare, hunc quoq; vaporem à Sole illu-
minatum fuisse potius quām inflatum. Nam & Coma à Sole auer-
sa erat, & lumen ipsum illuminationi similius quām incendio. Sed ha-
rum rerum iudicium penes Physicos esto. Iudicamus quoq; illum ad
formam posse referri, quam Græci πωγωνίς nomine indicarunt.

Superest tandem vt de effectu aliquid dicamus, quæ res, vt ab
omnibus omnium maximè desideratur, ita prolatu difficultima est, &
in primis obscura. Non esse Cometas inania spectacula, supra quidem
& rationibus & exemplis declaratum est. Iudicium quoq; probatis-
simorum virorum, si experientiæ attendere nolunt, imperitis satis-
facere debebat. Citantur passim dicta veterum sapientum, & Poëta-
rum, de hoc negocio, cuius sententia est & D. Camerarij senarius,
Ἐδεῖς κομήτης ὅστις & οὐκοῦ φέρετ. Et Georgius Sabinus, vt cæteros præ-
teream, in hunc modum:

Semper adhuc diri quoties arsere Cometæ,
Certa sequuturi signa fuere mali.

Item:

Bella, famemq; ferunt & funera multa Cometæ.

Sed vt aliorum quoq; signorum interpretatio, non penitus ex
Physicis rationibus sumi potest, ita præcipue Astrologica de Come-
tis prognostica, nequaq; ipsi negotio satisfacere possunt. Sed qualia,
cunq; ea sunt, pro nostra tenuitate proferre non detrectabimus.

Volunt Astrologi Cometas multorum malorum causam esse, &
hoc physicis rationibus confirmare conantur. Nam si materiam Co-
metarum respicimus, magnis corruptionibus ea loca terræ obnoxia
esse oportet, in quibus tanta moles vaporum et exhalationum Come-
tis sufficientem materiam suppeditare potest. Deinde accedit certa
& efficax quædam stellarum copulatio, vt sua vi vaporess terrestres
attrahere possint, quæ vis vehementior non tantum in halitus istos,
sed & in totum aërem diffunditur. Tandem Cometæ sive accensi sive
illuminati, & in aëre circumvoluti, ipsum inficiunt, & ita motus ve-
hementiores, aut corruptionem excitant, in hjs præsertim homini-
bus, qui ob delicatiorem educationem, aëris alterationem & infe-
ctionem facilius percipiunt. &c.

De malis autem, quæ in genere de Cometis prædicuntur, ab
antiquis hæc verba citantur:

Octo mala fulgens Cometa per aëra signat;
Ventus, sterilitas, aqua, pestis dominatur,
Rixa sit, & tremor, moritur dux, mutatio regni.

Quomodo verò hæc vel singula vel ex parte coniuncta, ex quilibet stella crinita prædici debent, id Ptolomæus succinctè & breuiter docuit. Arabes magis speciales regulas proferre consueuerunt. Sed quæ apud plerosq; eruditos Arabum sit fides & authoritas, in arte diuinandi, non est huius loci discutere. Tandem ex similibus flammis, in h̄sdem locis antea inuentis, similes quoq; euentus à recentioribus nonnunquam prædici solent, quanquam hoc experientiæ testimonium quām plurimis exemplis fultum esse conueniebat.

Præcipiunt autem, inquirendum esse astrorum positum & constellationem, cuius vi Cometæ materia sublata est. Deinde cui ex Planetis maximè assimiletur, & ad quem cursu suo accedat, sed iuxta Ptolemæum, omnes Cometæ cum Marte & Mercurio ex parte communicant. Obseruandus item Cometæ positus ad Solem, dodecatemorū conditio, in quo primum oritur, & tandem imaginum cœlestium conditio, quibus se commiscet.

Iuxta hæc præcepta primum iudicamus, Eclipses duas anni præcedentis, & in primis eam, quæ mense Septembri accidit, hanc facem excitasse. Nam ad postremam hanc simul concurrit coniunctio Iouis & Martis in domo Mercuriū, & Mars præcipuum gubernium eius Eclipsis sibi vendicauit. Vtrūq; item luminare à Saturno ex propria eius domo, infausto radio quadrato impeditum fuit. Maior item no-cendi vis infortunis accessit, quod Saturnus occidentalis, & Mars orientalis fuerit. Ideoq; existimo, Ptolemæo iubente, Eclipsis istius significata per hanc secundariam causam exasperari. Iudicata est autem ista Eclipsis in Ariete, acutas febres prædicere, incendia, aëris siccitatem multam, & annonæ difficultatem, pecudum insuper interitum, principis magni exilium, dissidia & bella, Religionis etiam & religiosorum statum afflitum & turbulentum. Et hæc Eclipsis illa h̄s præsertim minitata est, qui subiecti sunt Arieti & eius triplicitati.

Præterea iudico Cometam hunc cum Saturno quoq; communicare, nam in eadem dodecatemorū longitudine ferè coniuncti fuerunt. Lumine quoq; Saturninus esse putatur, quanquam & niger color Saturno congruit. Itaq; morbi notantur, à frigore, pituita & occultis humoribus generati, regionum quoq; detrimenta Saturnina, qualia solent fieri peste, fame, ventis infolitis, terræ motu, siccitate. Et quoniam primum in Capricorni dodecatemorio visus est, ex quo tempore præcipuum iudicium sumi debet, itaq; secundum Arabum

traditiones, designantur bella inter reges, in fortunia multa partibus Occidentalibus & regi eorum, religiosorum oppressionem & mortem, niues quoq; copiosas, & grandines quibus arbores lœdantur, inundationes in parte Occidentali.

Annotauimus supra, quod anno 1500. in Capricorno quoq; critum sydus conspectum sit, illud tristem euentum habuit. Nam irruptionio Tartarorum facta est in Poloniam, Moscorum in Lithuaniae. Biennio post, Noribergenses magna clade à Casimiro, Marchione Brandenburgensi, affecti sunt. Rusticorum seditio aduersus magistratum in agro Spirensi orta est. Fames item in Suevia, & alibi alia incommoda secuta sunt. Hæc non ideo commemoro, vt Astrologica necessitas eadem nunc evenire cogat, nam euentus talis non ex solo loco Cometæ sequitur, sed ex alijs multis concurrentibus rationibus, quæ fortassis nec Astrologus satis perspicit: sed vt humanam sortem, cui subiecti sumus, consideremus, & ne nimium securi, à nobis humani quid alienum putemus, & vera ad Deum conuersione, pœnarum mitigationem petamus. Iuxta Ptolemæum itidem, si consideramus Cometæ ad Solem positum, obitus thesaurarj alicuius Regis portenditur, & in hac consideratione, quanq; successu temporis, præsens Cometa à Sole maiorem distantiam natus sit, quam ut intra metas Ptolemaicas se continuerit, tamen quemadmodum Pontanus iubet, à prima eius fulsione iudicium hoc sumsimus.

Motus Cometæ, bella illa, quæ designari diximus, ab externis hostibus oritura nunciat.

Vniuersaliter autem omnes Cometæ, iuxta Ptolemæum, squalorem ventosq; pronunciant, & id eo vehementius, quo maiora corpora eorum fuerint. Itaq; de qua nunc agimus crinita, sicut inter maximas, quæ visæ antea sunt, minimè referri potest, ita plures sua magnitudine excedere solita est, vt satis intensam, non tamen maximam ventorum & squaloris vim sequuturam existimem, quemadmodum idipsum iam hisce elapsis quoq; diebus, non frustra experti sumus.

Quæritur postea, quando horum euentuum initium futurum, & quam diu euentus duraturus sit. Ex Ptolemæo aliter respondere non possumus, quam quod senior euentus sequetur, quoniam Cometa fuit occidentalis. Duratio flammæ, de euentuum intensione & remissione docere nos debet. Huius Cometæ duratio duorum mensium fuit, quæ plus quam mediocris est, nam aliâs citius aliâs tardius extinctos legimus. Plures tamen citius conflagrari soliti sunt. Ideo & ultra mediocritatem intensio pœnarum erit. Quantum ad durationem attinet, à Ptolemæo non dictum inuenio, nisi quod nonnulli flammæ

Flammæ diuturnum conspectum, de quo modo diximus, ad hanc partem trahant. Sed recentiores, pro singulis mensibus durationis, singulos annos numerare soliti sunt. Nonnullos rursus (fortassis si citius extinguiuntur) pro singulis septimanis, singulos annos supputare intelligimus. Sed de hoc discrimine difficile est iudicare. Nam iniunio, peritos Astrólogos dicere solitos, de tempore euentuum, vix, aut ne vix quidem prædicti posse.

Postremo quæritur, quibus regionibus aut personis talis exitus impendere videatur. Ad hanc quæstionem partim supra respondimus, vbi de Eclipsi loquuti sumus. De reliquis, Ptolemæus iudicium sumere iubet, ex his locis Zodiaci, sub quibus Cometa collectus & incensus fuit, & primum exarsit, deinde ex ratione Comæ, pro ratione formæ. Quare periculum metuant in primis hi, qui Capricorno subiecti sunt, ut Albania, Bulguria, Littauia, Moscova, Saxonie, Turingia, Hassia, Brandenburgum, Stiria, Ducatus Clevensis. Sunt postea qui dicant his præcipue portendere, quibus verticalis fuerit. Hac ratione, intelligitur tota illa Zona terrestris, quæ intra æquinoctialem & tropicum Cancri intercipitur, & aliqua ex parte quæ ultra æquinoctialem fascia est versus Meridiem. Tandem & his ciuitatibus & personis periculosa hæc flamma censetur, quæ tempore fundationis earum, aut nativitatis, locum Cometæ in cardinibus fortunarum auxilio destitutis habuerint, locum dico in quo primum Cometa conspectus fuit. Si enim in ascidente vel angulo Oceidentis, vehementius aliquid aut statui aut vitæ imminet. Si vero in Medio Cœli, honorum iactura aliqua facienda erit.

Exorandus est nobis Deus Opt. Max. vt per filium suum, redemptorem nostrum, calamitates futuras nobis mitiget, & nostras mentes Spiritu sancto suo confirmet, ne miseris & pœnis succumbamus, sed læti sempiternam liberationem expectemus.

F I N I S.

Imprimebatur Noribergæ; in Officina Typographica;
Catharinæ Gerlachin, & Hæredum.
Iohannis Montani.

M. D. LXXVIII.

